

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio ck
cum fonte primo

Egris non una causa salutis est;
alter cibus reficitur,
alter per abstinentie beneficia tenuatur;
hic lauacra mollia, ille ferrum querit ad uulnera;
et uarium poscit diuersa qualitas passionum.

Feroces districtione premendi sunt,
mansueti ciuilitate admonendi,
dolosi caute, simplices sub lenitate tractandi sunt,
et ideo ubique necessaria probatur esse prudentia
que rebus omnibus adhibere uidetur accommoda.

Cassiodorus ibidem libro IIII. epistolarum.

Aegris non una causa salutis est:
alter cibus reficitur,
alter per abstinentiae beneficia tenuatur:
hic lauacra mollia, ille ferrum quaerit ad uulnera:
et uarium poscit remedium diuersa qualitas passionum.
Sic qui populis praeesse cognoscitur,
non uno consilio praeditus inuenitur.
Feroces districtione premendi sunt,
mansueti ciuilitate ammonendi:
dolosi caute, simplices sub lenitate tractandi sunt.
Et ideo ubique probatur necessaria esse prudentia,
quoniam rebus omnibus adhibere uidetur accommoda.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII*, 12.3
(CCSL 96, A.J. Fridh ed., p.466, ll.6-14).